

Johannes Mitzel Achaz Christian Ranger

Exercitatio Iuridica De Induciis Moratoriis Privatis

Rostochii: Kilius, 1668

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741215721>

Druck Freier  Zugang



Priortu Schallmeyer's Buch

Ruhr 1668

Johann Michel, Drac.
Achatus Christianus Ranger

EXERCITATIO JURIDICA
IN DUCIIS
MORATORIIS
PRIVATIS,

Quam
D. O. M. A.



Magnifici J^Ctorum Ordinis
consensu,
PRÆSIDE
NOBILISSIMO ET CONSULTISSIMO
VIRO,
DN. JOANNE MITZELN,
J. U. D.

Favitore suo æternū suspicioendo,
In illustri Varnianâ,
defendet
ACHATIUS CHRISTIANUS Xanger/
Prutenus.

In auditorio Majori,
ad d. XI. Martii.



ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. 1668.

Admodum REVERENDO', PRÆCLARIS-
SIMO atq; eximiè DOCTO.

VIRO

DN.

M. JOANNI
CHRISTIANO
ISINGIO,

Ecclesiae Cathedralis, quæ Regio-
monti Borussorum est, Archidiacono vi-
gilantissimo, Orthodoxæ religionis
LUTHERANÆ ac veritatis cœ-
lestis propugnatori acerrimo,

Fautori juxta ac Benefactori suo
PARENTIS loco, tergeminio obser-
vantia cultu perpetim devenerando,
suspiciendo,

In grati animi ~~tempor~~, humilliamam sui, suorumq;
studiorum commendationem ~~ασκημα~~ hoc con-
secreare ut debuit, sic voluit

ACHATIUS CHRISTIANUS Xanger.



In nomine ejus, qui universo humano generi salutare stulit leges, JESU CHRISTI,
Nov. L. 1. pr.

TITULUS. I.

Continens partem prooemialem.

§. I.



Um inter complura alia, Divino pariter ac Humano jure, prodita $\eta\tau\chi\eta$ -
kōtōr sive depauperatorum debitorum subsidia, præ reliquis insigni se
æquitate commendent INDUCIÆ
seu dilationes MORATORIÆ istæ,
quas Creditores depauperatis conce-
dunt debitoribus, quasq; adeò ab
Autorsibus suis, ad differentiam illa-
rum, quæ, vel mediante Rescripto,
regulariter à Majestate impetrantur, l. 2. & 4. C. de prec. Imp. Off.
frustrà harum LL sensum aliò trahentibus Cuj. 2. Obs. 10. Fab. Err.
Pragm. 25. Err. 5. Pac. Anal. ad all. Tit. C. n. n. vel interveniente
Magistratus inferioris decreto, idq; sive ex legum præscripto, vide
§. 3. Inst. de Off. jud. l. 31. de rejud. l. 3. C. de us. rer. jud. c. 26. X. de
off. & pot. jud. del. sive ex mero arbitrio definiuntur v. l. 2. de re
jud. c. 15. fin. X. de sent. & rejud. Mev. latè Norm. Aequit. c. 2. n 140.

A 2

& seq.

¶ seqq. & sect. 9. c. 4. n. 6. Carpz: Af. deb: Tb. 60. indeq; publice
vocantur, recte dixeris PRIVATAS, l. ult. C. qui bon. ced. poß.
junct: §. 10. f. de Except: de his quædam percurrere visum fuit.

§. 2. Illam autem Induciarum vocem, à re militari, ad
civilem, quo nihil frequentius, translatam v. l. 19. §. 1. de capt.
¶ postl. ubi Gloß. sive à Die, ut Varr. sive ab initu & introitu in ca-
stra hostium, ut Aur. Opil. sive ab his, per quendam coitum ac
cōpulam connexis voculis, inde, uti, jam, ut Gell. 1. Noct. Att: 25.
sive ab in diem otium dando, ut Don: ad Ter: Ep: 1. Sc: 1. v. 15. sive
ab inducendo, ut Becm: Orig: LL. sive deniq; ab hisce dictionibus
indu otium, ut Grot: lib. 3. c. 21. §. 3. de J. B. & P. ex penitiori anti-
quitate placet, neq; nobis displicet, in præsens derives, nobis
nunc quidem perinde est, modò apta nostro argumento ipsi
servetur significatio, quâ pactitiam inter creditorem debito-
remq; denotat dilationem sive moram (unde etiam hæ ipsæ
inducia, moratoria, perperam verò, mercatoria, v. Tb. 2. Disp:
Nob. Dn. Praef. de Indult: morat: cognominantur) quâ durante, ni-
hil quicquam à debitorē exigi potest. C. un: X. plus petit: §. 10. f.
de Exc. Quæ verò ratio, quod hæ etiam private vocentur, paulò
ante dictum, nec ergo hic repetendum.

§. 3. Ex his jam quoq; de πλυσημα vocis Induciarum con-
stare potest; interdum enim, idq; propriè, de conventâ armo-
rum cessatione inter hostes, Græcis ενεχεια, accipitur, v. l. all.
19. §. 1. de capt: Gloß. in l. 5. §. 1. de pac. Unde venustè admodum
ad comicum duellum hanc vocem transtulit Plaut: Amph: act: 11
Sc. 1. v. 234. Quin & eandem, ad aliarum quoq; rerū remissam à so-
litâ & consuetâ occupatione cessationem, passim non ineleganter traduci, nisi esset à scopo nostro alienum, probatu op-
pidò esset proclive. Sed magis hujus loci est, quod induciarum
appellatio in jure sæpiissimè, pro quavis judiciali sumatur dilata-
tione v. c. 2. & 3. X. de dilat: l. 26. C. de Fidej. l. un: C. in quib: caus.
milit: Autb: si appell; C. de temp. ap: & in specie pro dilatazione debi-
tori

tori concessâ c. un: X. de. plus petit: l. 3. §. 1. C. de us. rer. jud: auth: C. ubi de crim: l. 12. §. 4. C. de reb: cred: l. ult: C. qui bon: ced: §. 10. J. de Except: Gloß: ad l. 10. de pact: verb: Hypoth: & ad l. 41. de judic. Freund: de Rescr: Mor. Concl: 4. n. 26.

§. 4. *Synonyma Induciarum nostrarum accumularunt*
Freund: all: l. Limn: de J. P. l. 4. c. 8. n. 321. Mav: c. tr: c. 4. l. 8 pr: pro-
inde insigniores hic duntaxat subnotabimus; Imperiti istas vo-
cant Industrias, v. Thes. decis. 186. pr: Limn: all: l. Doctiores latine,
Exceptiones, ex all: §. 10. J. de Except: & Præscriptiones l. 4. C. de pree:
Imp: off. Cautiones Rebuff. d. lit. dil. A. 1. Gl: 1. n. 3. moratorias, it: Di-
lationes seu Inducias solutionum, Gloß: in c. 12. verb: dilat: X. de Ex-
cept: Ludv: ad §. 10. J. de Except: n. 2. Kinschot: tot: tr: de Ind: solut:
Græce ἀνανθάς & c. v. Cuj: ad Tit: C. qui bon: ced: in parat: Gallicè,
Respits. Rebuff. c. l. n. 1. Germ. Fristen zur Bezahlung/ Preusch.
Lr. L. 1. Tit: 24. Art: 26. §. 1. it. Anstand. Wehn: ob. pract. b. v. Quin
& literæ Conformationum, de praxi Brabantiae, & Brieffe van
Respit off Alterminatie/juxta stilum Batavicum vocantur: quam-
quam hæ posteriores denominations, ut & *Quinquennalium*
appellatio publicis Inducii frequentiori videantur usu tribui,
v. Kinschot. c. tr: c. 7. n. 4. & pass. tot: tr: Vinn: Corp: ad §. 10. J. de
Except: & §. 6. J. de J. N. G. & C. Maul: de Cess: Bon: Tit: 7. proprius
vero ipsarum naturæ congruit, cum Majoriæ & Concurrentiæ,
quanquam id rarius fiat, indigitantur Freund: c. concl: n. 33.

§. 5. Sunt autem, nostræ hæ INDUCIÆ MORATO-
RIÆ PRIVATÆ nobis, dilationes depauperatis debitoribus
a Creditoribus, ad certum tempus, hunc in finem concessæ, ut
illi ab exactionibus creditorum interea immunes, ad persolven-
da, finitis induciis, debita, se quoquo possibili modo, parare
possint arg. l. ult. C. qui bon. ced. ubi Perez. & Brunnum: §. 10. J. de
Except. ubi Dd. Fab: Cod. l. 7. t. 31. Def. 3. Brun. de Cess. bon. qv. 26. pr.
& qv. 27. pr. Col. de proc. Execut. p. 1. c. 4. n. 14. Wehn. c. l. Manz.
Patr: Deb: qv. ult. Dec ult. n. 4. Mav. c. tr. c. 3. n. 81. & seqq. Carpz. As-
deb. 63. n. 66. seqq. Freund. c. tr. concl. §. A 3 §. 6. Li-

§. 6. Licet autem illarum *essentialis*, secundum suas species, *distinctiones* non agnoscamus; *accidentales* tamen, secundum externas quasdam dari qualitates, non negamus; ut ecce, prodiverso per illas concessio spatio, *in semestres*, *annales biennales*, *quinquennales* &c. possunt discriminari, v. *Theß. decis. 186. n. 8.* *Cuj. 2. ob. 10.* *Freund. concl. 48. n. 27.* & seqq. Sic cædem quoque dividi possent, *in speciales*, quæ *uni personæ*, & *generales*, quæ *provinciæ*, *Universitati*, aut *Collegio* indulgentur. *Brunnum. ad c. l. ult. C. qui bon. ced: Mæv: c. tr: c. s. n. 204.* & seqq. Sic etiam illas dispescere liceret, quod quædam *olo* *ereditorum consensu*, adeoque facultate merè *privatâ*, quædam vero, *accedente* ad voluntatem *Creditorum* simul & *Magistratus auctoritate*, emanent. *Freund. c. tr. concl. 4. n. 90.* & seqq. *Mæv. c. tr. c. 3. n. 190.* plur: v. ap: *Cuck. de præscr. mor: n. 14.* seqq. Sed hæc nunc ~~o~~ *ad* præmittere habuimus; fænerabuntur singula lucem, ex illis quæ sequuntur.

TITULUS II. Continens Causas Externas Partis Essentialis.

§. 1. *Causam nostrarum induciarum Efficientem duplicem statuimus, remotam unam, alteram propinquam.* Remota est *Jus Civile*, & in specie, *Jus Constitutionum*, uti patet *ex l. ult. C qui bon. ced. poss.* Cujus auctor *Imp. Justinianus*. Ultra enim istius, aut saltem *Imp. Gratiani*, *Valent.* & *Theodos.* tempora, harum induciarum observationē vix extendi posse adserit, *Carpz. J. R. S. p. 2. Const. 22. Def. 29. pr: Af. deb. Th. 61. 22.* & *Th: 63. 66.* licet hæc adsertio, si de primâ harum induciarum origine simpliciter accipiatur, tum ob alia multa, tum ob illa, quæ tradit. *Greg. Thotos. Synt: jur: l. 22, c. 7.* suo non careat scrupulo, quem tamen
hic ang.

hic anxiè non excutimus. Planè id certum, vetustiorem nullam illarum in nostro jure extare memoriam, quām in præmemoratâ constitutione, usque adeo, ut, sicuti *Jus Constitutionum Imp. multa benignè contra reliquum Jus Civile*, leges putā, SCta, Plebiscita, Magistrat. Edicta, JCTorumque authoritates introduxerit, v. *Cuj. 7. Ob. 4.* Indeque etiam multò difficilior hujus, quām illius, cognitio reddita fuerit, *Cuj. pref. parat: Cod.* Sic etiam hasce Inducias, contra communis Juris Regulas, solito more jam tum receptas, summā sanè ratione & equitate approbaverit, quæ de re eruditè *Max. c. tr. c. 3. pr.*

§. 2. *Causa* vero *Efficiens propinqua*, nobis duplex, *Principalis* atque *Instrumentalis*. *Principalis* iterum in *nupias* five *primariò*, & *debtò* sive *secundariò* *talem* distinguitur. *Primario* *principalem causam* in voluntate atque *consensu Creditorum* statuimus, *l. ult. C. qui bon. ced: poss. ibi Perez. & Brunnm.* §. 10. *7. de Except. ubi Dd. Anton. c. tr. concl. 4. n. 90. & seqq. Carpz. all: def. & Af. deb: Tb. 63. pr. Col. proc. Exec. l. 1. c. 3. n. 15. Manz. c. l. num. 2. Max. c. tr. c. 3. n. 190.* *Creditorum autem nomine*, nobis non solum veniunt illi, qui pecuniam crediderunt, sed omnes quibus ex quācunque actione vel persecutione aliquid debetur per *l. 10. 11. & 12. de V. S.* Porro *minus* *principalis* denuò nobis in *æquatāgōtikēn* & *ægnyspēn* dispescitur. *Prior*, sive *extrinsecus impellens causa*, præprimis *afficta* est *Debitorum conditio*, quam, sive *propria ipsorum*, sive *malignantis fortunæ culpa causata*, est, ex *communi Dd. opinione*, perinde hīc censere debemus, ut paulo post latius dicetur v. *Ant. c. tr. concl. 23. n. 15.* *Posterior*, sive *intrinsecus commovens causa*, est vel *commiseratio creditorum*, ob ærumnosum *debitoris statum* v. *Ant. c. tr. concl. 3. n. 120.* vel *cupiditas consequendi id*, quod denegatâ *debitoribus omni locupletandi occasione*, adeoq; hisce quoq; induciis, consequi haud poterant. Nec enim dabit quicquam ille, cui emmis habendi ditescendiq; facultas præcilia v. *l. 1. 2. def. fuit. fac. l. 6. de dol. mal. v. Thuseb: lit. D. concl: pract: 17. per tot.*

§. 3. *Causa*

§. 3. *Causal Instrumentalis*, aut, si mavis, *Subjectum*, harum Induciarum est debitor (sive sit persona singularis, sive universitas, communio, collegium, societas) promiscue quilibet, etiam *de Tribu levi*, ut lepidè sequioris notæ debitores vocat *Waltb.* *Post. jur. Trin.* 22 §. 340. n. 1. Nec enim in his privatis induciis attendimus, utrum quis suo, an alieno vitio, bonis eversus omnibus, solvere nequeat; Atque ita communiter *Dd. vid. Strach.* p. 6. *de Decoct.* n. 20. *Rul. de commis.* p. 4. l. 9. c. ult. n. 8. *Steph. de Jurisd.* l. 2. p. 1. c. 1. m. 2. n. 20. *Brun. de Ces. bon.* qv. 26 pr. *Kinschot.* c. tr. c. 12. n. 4. *late Freund.* c. tr. concl. 23. n. 15. *Mev. c. 3. n. 162.* quod adeò prorsus singulare in hisce *Inducii* existit. *Publicæ enim, non minus, ac cetera privilegia, debitoribus suâ culpâ depauperatis, quos alias *Bancruptores* aut *Fallitos* nuncupamus.* *Besold.* *Theb. pract.* *Speid. Notab. verb.* *Bancroft.* neutiquam conceduntur. *Freund concl. all. pr.* *Mev. c. tr. e. 5.* *& ult. per tot.* *Nob. Dn. Praef. Disp. all. Tb. 20.* & seqq. cum all. *Dd. Unde etiam communem istam Dd. assertionem, de Inducii privatis ita promiscue concedendis, non immerito in dubium vocat Manz.* c. l. n. 36. & exserte negat *Cub. de prescr. Morat.* 130. Sanè de moribus Galliæ, tantum abest, ut illis, qui suo vitio facultates suas decoixerunt, hæ induciæ possint concedi, ut si id creditores fecerint, crediti jus omne amittant *ex Edict. Henrici IV. Reg. Gall. de A. 1609.* quod allegat. *Ant. c. l. n. 17.* Nos autem ne videamur illa, quæ interpretationem hactenus certam habuerunt, temere immutare l. 23. *de LL.* & per hoc, quod ajunt senes de ponte dejicere velle, licet plures in contrarium nobis haut desint rationes, communi *Dd.* opinioni in præsens favebimus.

§. 4. Duobus autem præsertim modis (ad hos enim alii reduci possunt) nostras inducias Debitor consequitur. *Aut* enim *privatum*, de concedendis induciis, creditores suos, sive *singulos*, sive *conjugulos* interpellat, illarumque bona ipsorum gratiâ benignâ conventione potitur arg. §. 10. *J. de Except. v.* *Manz.*

Manz: l. c. n. 79. Mav: c. tr: c. 3. n. 84. & seqq. Aut vero consensu
ipsorum diffidens, discordantesque sive præsagiens, sive jam ante
expertus sententias *coram Magistratu*, citatis creditoribus, ni-
si inducias concedere velint, bonis cessurum se proponit, atque
ita tum demum hasce Inducias consequitur, si Major Pars cre-
ditorum in illas consenserit *l. ult: C. qui bon: ced: poss: Brun: c.*
tr: q. 21. Prince: Jam, cum debtoribus ante omnia eo contendendu-
m, ut propitiâ potius creditorum voluntate, quam aliis sub-
leventur modis; longè sibi prudenterius consulunt, si priori illo
modo Inducias impetrare satagant *Mav: c. tr: c. 3. pr: quæq; adeò,*
si, edoctâ paupertate, ipsis haud fuerint denegatæ, sed concor-
di concessione indultæ, præcisè Magistratus aditionem atque
confirmationem haud requirunt. Quid enim opus vivi præto-
ris aditione, quidve necesse est precibus quererere id, quod ipso
jure competit. *l. 1. C. de Theß: l. 16. de Min: fac: l. 7. §. ult: de Pact:*
Carpz: Af: deb: Tb: 63. n. 68. quanquam, ad majorem rei securi-
tatem, Magistratus approbationem recte requiri, & ita quoti-
die practicari, non negemus *Anton: c. tr: concl: 14. per tot: Brun: c.*
tr: q. 21. n. 61 Prince: Mav: c. 3. n. 190. & seqq.

§. 5. Posteriori vero casu, & ubi debitor, sive jam ante
præsagiens, sive jam tum expertus discordantem creditorum
super induciarum concessione voluntatem, *coram Magistratu* ci-
tatis creditoribus, nisi sibi Induciaæ concedantur, bonis se ces-
surum proposuerit, Magistratus suam interponet auctorita-
tem; Decretoque illorum creditorum, qui vel majori nume-
ro vel certè majori crediti summâ reliquis præcellunt, senten-
tiam valere jubebit *l. ult: C. qui bon: ced: poss: fac: l. 7. §. ult: l. 8. 9.*
10. d. pact. Pr. L. 1. Tit: 24. Art: 16. §. 1. adeoque pro distinctis
hisce seqq. casibus, distinctè suo utetur officio. Si enim illo-
rum, qui in dilationem consentiunt, sint numero plures, quantitas
quoque ipsis debita sit Major reliquorum dissentientium quan-
titate, horum procul dubio præ valebit sententia *per text: all: ubi*

~~communiter~~ ~~ferè~~ ~~concord.~~ *Dd.* Idem *II.* obtinebit, si qui dilatio-
nem concedant, sint numero pauciores, potiores verò quantitate
debiti, adeò, ut licet unus creditorum, cui major præ reliquis
summa debitur, Indicias concesserit, ille vel solus audiatur
per l. all: ult: C. qui bon: ced: pos: Brun: ibidem, rationem vid: in l. 8.
de Pact. ubi Gotb: Brun: all: l. Mæv. c. tr. c. 3. n. 98.

§. 6. Sivero *III*, ab utrâque consentientium & dissentienti-
tium creditorum classe par fuerit nominum exacta quantitas,
tunc classis illa prævalebit, quæ numerum habet ampliorem *l. all:*
C. qui bon: ced: pos: Mæv: c. l. n. 102. Quod si autem IV par sit con-
sentientium dissentientiumque numerus, rerum quoque creditarum
equalis cumulus, ipsius Auctoritatem Magistratus sequi debet,
qui reliquis dignitate præcellit *arg: l. 8. de pact. ubi Gothof. ratio-*
nen v. in l. fin. de fide instrum: l. 3. de Test: Strach: c. t. p. 6. n. 10. Van-
der de priv: cred: c. 12. Manz. c. l. n. 21. Denique si V. & numerus,
& summa, & Dignitas, ad summâ, paria omnia inveniantur,
audiendi sunt illi, qui ad humaniorem sententiam id est Indicias
inclinant *v. l. cit: C. de Cess. bon: ibi Gloss: & Dd. l. 8. de pact: ibi Dd:*
Brun: de cess. bon: all: l. Mæv: c. l. n. 105. quanquam & in his duobus
posterioribus casibus, si cætera deficiant, Cognatorum præcipue
consensum spectari affirmet *Brun: c. tr: q. 23. princ: Strach. cum all:*
Dd. p. 6. n. 9. c. tr: quo tamen in passu caute Magistratum, circa
confirmationem Induciarum agere oportet, per illa, quæ eru-
dite disputat *Van der de Priv: Cred. c. l.*

§. 7. In omnibus autem casibus prædictis, cum de nu-
mero creditorum quæritur, non tam horum spectandæ per-
sonæ, quæ in ipsa sortis concreta summa. Si itaque plures sint de-
bitores, quibus una eademque summa debitur, sint que correi,
quoad unum illud debitum, isti pro uno tantum debitore cen-
sentur. *l. 9. de Pact: Sic quoque si plures tutores pupilli debi-*
tum exegerint, unius tantum personæ vicem sustinent, per l. all:
Strach: c. tr: p. 6. n. 10. Van der: c. tr: c. 6. n. 12. Mæv: c. l. n. 105. Parti
quoque

quoque ratione ubique attendendum, ut, cum de summâ debiti quæritur, sors simul cum usuris in unum redacta intelligatur, per l. 9. §. f. de pact: ibi Dd. Pr. Lr. c. l. §. 3. Mav: c. l. n. 102. Nec distinguimus hic inter usuras, lege non distingueente, sive ista ex stipulatione, sive ex mora, legitimè debeantur, licet contr: sent: Manz: c. tr: n. 20.

§. 8. Sic quoque curatè videndum, ne *fictitii* subornentur Creditores, adeoque per horum majorem numerum, imponatur consentiendi necessitas minori *verorum* creditorum parti. Et ergo, si quis creditorum probare velit, ejusmodi personatos concredidores à Debitorum subornatos fuisse, non solum omnino audiendum, sed debitorem, simul cum larvatis ejusmodi creditoribus, graviter etiā pœnā falsi plectendum censemus, per l. 15. C. de fal/. Rebuff: n. 68. c. tr: Stracb: p. 6. n. 10. Manz: c. tr. n. 58. Zang: de Except: p. 2. c. 12 n. 27. quā vero ratione, tales fraudes præcaveri possint, elegant: in Galliā modum. v. per Rebuff. all. loc. Quin & eodem modo, si quis concreditorum, Majorem Partem iniquè, aut subdole, circa harum induciarum concessionem, versatam fuisse advertat, ab interposito iudicis decreto, ad Superiorem recte appellare potest Stracb: c. l. n. 17. Manz: c. l. n. 58. Ant: concl: 15. 36. & seqq. Mav: l. c. n. 158.

§. 9. An vero rectè hoc fiat, & secundum *æquitatem*, quod Major Pars Minoris, secundum præfata præjudicet, operosâ hic ambiguitate controvertunt Dd. Add: Ruding. cent: 1. Obs. 27. n. 3. sed cum all: l. 6. qui bon: ced: pos. (cum quo consentit Pr. Lr. l. Tit: 24. Art: 26. §. 1.) disertâ sanctione, omni scrupulo remoto, rem omnem clarè decidat, de ipsius *æquitate*, ut hic Dd. vestigia secuti, prolixè disputemus, vix nobis per c. 3. dist: 4. l 3. C. de Crim: /acril: licere arbitramur. Plane cum publicâ legis provisione Majori parti concessum etiam de ipso debito, *partem remittere*, ad hoc, ut idem facere pauciores creditores teneantur, per l. 7. §. ult: & l. 8. 9. 10. de Pact: Quidni etiam tali conditio

tionē dilationem concedere posset & per l. *U. d. R. J. c. 53. X. d. R. J.*
in 6. præprimis, cum & aliæ in jure nostro non infrequens, ut
Majoris Partis sententiam, Minor sequi cogatur, v. l. 19. ad Mu-
nicip: l. 36. de Re jud: c. 5. & pass: X. de his quæ major: part. v. Scheff:;
Præct: quest: 22. n. 2. Manz: c. l. n. 12. Mæv: c. l. n. 9r. & seqq. Sed
hæc ita se habent de Jure Civili. De moribus autem Brabantiaæ
ex statuto Caroli V. A. 1544. d. 19. Maj. edito, Kinschot: c. t. c. 3. n. 5.
& c. 8. n. 5. nec non consuetudine generali Batavie, ex eodem
statuto contrarium obtinere asserit Zyp: ad Tit: C. qui bon: ed:
pos: Neost: De: if: 57. cui convenit Jus Lubecense L. 3. Tit: 1. Art: 13.
ibi Mæv: adeò, ut juxta horum locorum statuta, neutiquam
Major Pars præjudicet Minor: sed possint illi, qui non consen-
serunt in Inducias, jus suum contra debitorem liberrime
persequiv. all: Dd: & Mæv. c. 1.

§. 10. Non majori quoque licentiâ, quam in priori fie-
bat, illam hîc moveri quæstionem credimus, per text: all: c. 3:
dis: 4 l. 3. C. de crim. Sacril: an recte jure nostro dispositum ut
Chirographarii creditores, si Majori præstent Numero, etiam
Hypothecariis quoad Concessionem Induciarum præjudicent;
cum id disertâ sanctione edicat l. ult: C. qui bon: ed: idque sub
prægnanti satis ratione quam v. ap: Strach: c. l. n. 13. Manz: l. 30. cl.
Carpz: Af: deb: Tb: 63. n. 79. & seqq: & præter hos, si cui lubet,
videat Baldv: de pign: & Hyp: c. 19. pr: Kinschot. c. tr: c. 8. n. 3. Colic. tr:
n. 16. Carpz. J.R. S. p. 2. const: 22. def: 29. Mæv. c. tr. c. 3. n. 187. Secus
vero se res habet de jure Prutenico, Pr: Lr: all: l. §. 3. nec non Ba-
varico, Bayerisch Lr: Tit: 13. Art: 15. citant: Manz: n. 49. all: l. ut
& statutis Brabantiaæ Kinchot: c. l. n. 4. Harum enim provincia-
rum statuta, secuta sunt jus commune: quoad consensum credito-
rum, ad remittendam debiti partem, quo in casu, Chirogra-
pharii neutiquam Majori præjudicant Numero, v. l. 10. pr: de-
pact: & tb: Dd: rationem differentiæ v. ap: Strach: Manz: Carpz.
all: l.

§. 11. Ulti-

§. 11. Utilius multò h̄ic quæritur, coram quo Magistra-
tu creditores citari, decretoque interposito, sive inducias jam-
tum à debitoribus concorditer concessas, confirmari sive Mi-
norem creditorum numerum ad consensum Majori Parti ad
jungendum, compelli oporteat? Et licet de Jure nostro Civili
id apud τὸ νύξον, sive illum, qui supremam in Rep: potestatem
tenet, olim factum fuisse, hanc obscurè eliciatur expr: l. cit: C.
qui bon: ced: poß: v. ib: Cuj: in parat circ: fin: Mastrill: de Magistr: l.
3. c. 4. n. 457. Anton: c. tr: concl: 11. n. 1. Hodierna tamen de praxi,
apud judicem debitoris ordinarium, rectè ista omnia peragun-
tur, Gloss: Goth: & Brun: ad all: l. c. qui bon: ced: & ita aperte id di-
sponit Pr: Lr: all: l. §. 1. Anton: c. tr: concl: 13. n. 48 Manz. cum all:
Dd. d. tr: n. 43. Mæv: col. c. 3. paß: In Gallia tamen quodammodo
hodieque Jus Civile hoc in passu servari v. ap: Rebuff: c. l. n. 35.
Hæc nunc de Causa Efficiente sufficiunt, sequitur Causa Finalis cum
adjunctis suis Effectibus.

§. 12. Finem autem harum Induciarum, pro duplice
Creditorum debitorumque respectu, duplē facimus; alte-
rum principalem; alterum secundarium. Principalem, respectu
Debitorum constituimus. Hanc enim præcipuè ob causam, hæ
induciae indulgentur, ut illi non solum acerbiores creditorum
vexationes atque persecutio[n]es effugiant, seque ad debitam,
statim post elapsas inducias, solutionem parare possint; verum
etiam, ut habeant, quo deinde, liberatâ per solutionem fide-
se suosque honeste tolerare possint v. Rebuff: c. tr: in fin: A. 1. Gl:
1. Kinsch: c. tr. c. 7. Col: c. l. n. 14. Coll: Argent: l. 44. D. 1. Tb: 102. Carpz.
Af. deb. Tb. 62. n. 66. Secundarium respectu creditorum intelligi-
mus, quò illi, benigna induciarum concessione consequantur
id, quod rigidiori juris sui persecutio[n]e penitus amisissent v. An-
ton: c. tr. concl. 5. n. 12. concl. 49. n. 50. late concl. 51. per tot. Mæv. c. tr.
c. 7. n. 96.

§. 13. Effectus nostrarum Induciarum, quorum alii De-
bitores
B 3

bitores, alii Creditores, alii Utrosque communiter tangunt, variis admodum sunt, & plures numero. Nos hic præcipuos referemus. Primus itaque inter hos est præscriptio, sive exceptio moratoria pacti conventi, de non petendo, intra certum indulti temporis spatium. §. 10. J. d. Except: l. ult: C. qui bon: ced: Zang: d. Except: p. 2. c. 10. Col: de Except: ad c. 2. & 8. de Except: n. 49. quæq; adeò, cum dilatoria sit, ante litis contestationem venit propoundeda. Zang: al: l. & c. 11. pr: Col: all: l. Gail: 1. Obs: 74. 2. R. J. de Anno 1654. §. 38. Pr. L. L. 1. Tit: 24. Art: 21. idque ex Zenonianâ correctione operabatur, ut si contra pactas Inducias Debitor creditorem convenisset, teneretur priores Inducias duplicare, & litis intentatæ sumptus refundere v. §. 10. J. de Except: & §. 33. d. Act. l. 1. C. de plus pet. ubi Dd. c. un. X. eod. ibi Gloss: & Dd. Col. al. l. n. si. De hodierna tamen praxi Germ. Gall. Belg. illa Induciarum duplicatio non observatur, sed absolvitur reus, cum refusione expensarum, ab illâ instantiâ, salvâ conveniendi facultate Actori, cum terminus dilationis expiraverit v. Fabr. Perez. Brunn. in l. all: C. de plus pet: Col: c. tr: c. 3. p. 4. n. 11. Schulz. Vinn. Waff: ad §. 33. de Act: ib: all: Dd. cui frequentiori praxi etiam jus Pruten. accedit L. 1. Tit. 14. Art. 9.

§. 14. Hac itaque exceptione tutus Debitor, omnes omnino debitorum imputationes atque inquietationes, ipsum in melioratione suæ sortis impedientes, (quales sunt v. c. Arrestationes, Incarcerationes, Executiones etiam provisionales &c.) ad indultum tempus elidit Fab. l. 1. Tit: 19. Def. 22. Reb. d. tr. n. 71. Mev: c. 3. n. 201. & c. 7. n. 97. modò, ne durante dilatione, culpâ suâ facultates suas magis magisque subverteret, aut contrariò ad pinguorem perveniret fortunam, tunc enim securitas ista cessaret vid. Nob: Dn. Præs. Disp. de Indult. mor. Tb. 25. 26. Atq; ita quoque quæ ad confirmandum jus creditoris faciunt, putâ recognitione manus ac sigilli, rationes reddenda ac liquidanda, qualiscumq; debiti probatio &c. recte etiam durante dilatione à debitore eriguntur

guntur *Mav.* c. tr. c. 7. n. 107. *¶* seqq. Sed & compensatione Creditor contrà Debitorum uti potest p. l. 4. qui pot. in pign. l. 15. rem-
rat. bab. nec non retentione p. l. 33. a. Cond. indeb. F. all. l. def. 13.
modo, ne quis illa retineat, quæ debitori ad recuperandas opes
sunt necessaria *Mav.* c. l. fin: Interim, si debitor à suo recedens
jure, ultrò, etiam pendentibus Induciis, solvere velit, hoc ipsi
haud negatum putamus p. l. 70. l. 98. §. 4. d. sol. l. 50. d. Obl: *¶* *Act.*

§. 15. Sedanne & hoc præstant hæ inducæ, ne ipsis du-
rantibus usura currant? Quanquam id bene plures affirmari non
ignoremus; Nos tamen illas regulariter currere tuebimur: im-
primis, si illæ ex stipulatione aut morâ ante inducias impetratas
commisâ, debeantur, per illa que prolixè *Freund.* c. tr. concl. 61.
Mav. c. tr. c. 4. p. 8. Ante tamen omnia formulam atque tenorem
conventionis, inter creditorem debitoremque super his indu-
ciis pactæ, inspiciendum putamus, quippe ut aliis negotiis, sic
& huic, talia per conventionem partium adjecta pacta, rem o-
mnem liquidò expediunt l. 1. §. 6. ff. depos. l. 23. d. R. J.

§. 16. Idem faciendum remur, si dubitetur, an fidejusso-
ribus quoque prosint Inducæ principali indulta? Sane regula-
riter, & nisi aut renunciarint huic beneficio, aut se, ut principa-
les, als selbst schuldener / obligaverint, has quoque ipsis prodesse
penes nos est indubium. Est enim explorati juris, Exceptio-
nes, non ex *Superiorum gratia*, aut singulari principalis respectu sed
ex contractu principali aquisitas, adeoquerei non personæ cohæ-
rentes, etiam in fidejusorem transire l. 15. l. 32. de *Fidej.* l. 7. §. 1.
l. 19. de *Except.* nec tali in casu deteriorem esse debere conditio-
nem fidejusforis, quam principalis l. 8. §. 7. de *Fidej.* l. ult. §. fin.
C. d. Usur. rer. jud. ne urgeamus, Exceptiones ex pacto tempo-
rali (cujus naturam etiam nostræ habent inducæ) principali
competentes, etiam fidejusoribus prodesse v. l. 21. §. fin. l. 32. de
Pact. l. all. fin. §. f. *C. d. Us. rer. jud.* *Carpz. R. S. J. 2. Const. 9. Def.*
23. Freund. c. tr. concl. 65. n. 150. Mav. c. 3. n. 208. ¶ 7. n. 2. 6. quan-
quam

quam creditoribus, in Indicias juste non consentientibus, fidejussores, non obstante dilatione, convenire licitum afferant
Dd. Strac. c. l. p. 6. n. 13. Col. Proc. Exec. c. l. n. 18. Manz. c. l. n. 57.
Mæv. c. 3. n. 208.

§. 17. Atque ita quoque decidenda quæstio, utrum hæ induciæ defuncto concessæ, ~~ad~~ heredes transleant, & ab ipsis continuari possint? Regulariter enim & hoc affirmandum puramus p. l. 9. d. Prob. 2. Feud. 90. l. 13. C. d. Contr. Stipul. nec alias in jure nostro novum, ut tempus à defuncto cœptum, ab heredibus continuetur v. l. 8. §. 1. d. lib. leg. §. 12. J. de Usuc. l. 23. pr. d. acquir. poß. Freund. c. tr. concl. 84. n. 49. Mæv. c. 3. n. 102 quia imo & ipsos heredes, de Induciis, ad solvenda defuncti bona, rectè pacisci censemus arg. l. 7. §. 18. & 19. cum LL. seqq. de Pact. rationem v. in §. 1. Inst: qui & ex quib. caus.

§. 18. Sed an per inducias impietratas cessione bonorum privetur debitor? Si debitorem durante dilatione malignior fortuna afflixisset magis, quam sublevasset, nullam utique solidam videmus proponi rationem, ob quam hæc ipsi denegari debeat, præsertim, cum omnium beneficiorum paupertatis, & proinde quoque cessionis bonorum, tam diu durare debeat æquitas, quamdiu infelix durat rerum calamitas! v. Mæv. c. tr. c. 4. §. 5. n. 55. quam nostram adsertionem etiam præjudicio firmat Rebuff. d. tr. n. 61. Nisi forsitan debitor, se suasque facultates, durante dilatione, propriâ culpâ attrivisset magis, quam locupletasset, tum enim rectè hoc privaretur beneficio, arg. l. 203. d. R. J. l. 8. §. 14. de inoff. Test. l. 37. d. Min. Cujac. in parat. ad tit. Cod. qui bon. ced. Gloß. c. l. Brunnm. in l. ult. C. eod. Schneidv. Myns. Hapr. in §. ult. J. de Act. Brun. c. tr. q. 19. pr. 1. q. 4. Coll. Arg. ad Tit. ff. d. Cess. bon. Tb. 5. n. 5. Manz. c. tr. D. 2. q. 8. n. 71. Hæc de Causis nostri Thematis Externis.

TIU-

TITULUS III.

Causas referens internas.

§. 1. Inter has prima est *Causa Materialis*, ipsa autem est *vel subjectiva, vel objectiva*. *Subjectum* nostri Thematis est Debitor promiscuè quilibet, sive propriâ suâ, sive alienâ culpâ bonis exutus, *de quo* §. 3. *Tit: præc: Objectum* est Debitum Promiscuè quodlibet, sive privilegiatum, sive non privilegiatum, *ita pa-*
ter: ex l. fin: C. qui bon: ced: l. 10. pr: d. pact: ubi Dd. adeò, ut indiffe-
renter Minor Pars, etiamsi magis privilegiata, necesse habeat
consentire, in Inducias, à Majori Parte, licet minus, aut planè
non privilegiata, concessas, *Manz: c. tr: n. 30. Mæv: l. c. n. 188.*
quam tamen generalem assertionem, cum moderamine quo-
dam omnino accipi, & præcipuè isto in casu locum habere debe-
re putamus, ubi Minor pars licet magis privilegiata, Majori *in-*
justè reclamet, nec ita justam dissentendi causam habeat, quip-
pe qualem injustam contradictionem, jura nostra aliàs quoque
non attendant, sed potius pro consensu accipient, *v. l. 22 §. 6.*
d. sol: matr. ibi Goth: At si Minor Pars justam habeat dissentendi
causam, ut in seqq: casibus, non ita temerè, atque eodem modo
semper Majoris Partis judicio standum arbitramur.

§. 2. Etenim, *Si I. Pia Corpora*, ut Ecclesiæ, Scholæ, Or-
phanotroph: Nosocom: &c. *Personæ Miserabiles*, ut pupilli, vi-
duæ, furiosi, mente capti, valetudinarii, ipso debitore paupe-
riores &c. se, quo manus, durantibus induciis, ad victimum por-
rigant, neutquam habere, adeoque vitam inopem, dilatâ So-
lutione, tolerare haud posse, legitime edoceant, quis hos au-
diendos negaret, *v. Auth: cas: l. 12. §. 3. d. 55. Tit: c. f. e. 6. q. 1. c. 70. 71. Caus. 1. q. 2. Menoeb: 226. qql. 2. Cas: 203. n. 20. Fab. l. 1. t. 9. def. 20. Rebuff: c. tr: n. 25. 32. Kinsch. d. tr. c. 8. Ant. concl. 32. 33. Mæv. all: l. 7. n. 62. n. 142. Si II. Fiscus, ob delicta ante commissa, mul-
ctam; aut *Ærarium Reip: tributa* exigens, nollet in Inducias con-
sentire, neutrum, nisi speciali Superioris concessione, repellen-*

C dum

dum putamus. Si enim *Fiscus*, proposito in casu non audiatur, flagitiis præsidium queritur quod indignum nimis, nimisque impium text: in l. 7. f. C. d. nat: lib. fac: l. 38. d. R. V. c. 23. X. d. Rescr: Brun: d. ceß: bon: qu. 28. princ: Freund, concl. 38. Si vero Ærarium negligeretur, läderetur salus publica, cuius interest, talia debita ocyssime exsolvi v. Nov. 17. c. 7. §. 1. Rebuff. c. tr. n. 31. Kinsch: c. 8. n. 7. Freund. concl. 31. Mav. c. 6. n. 55. c. tr.

§. 3. Sic quoque III. cum nec per expressam fieri possit conventionem, ut quis rem emptam, simul cum pretio possideat, l. II. §. 18. l. 50. d. Act. Empt. Si tali in casu venditor nollet in Inducias consentire, utique audiendum credimus Reb. all. l. n. 43. Fab. c. l. def. II. Si IV. Locatores aut Commodatores rerum, quas debitor adhuc tenet, iisque utitur, fruatur: si, qui bonâ fide quicquam deposuerunt, pretiumve pro reuolutione pignoris jam solverunt, nec tamen hæc talia receperunt, Inducias reclament, his dilationem à Majori Parte concessam, neutquam præjudicare censemus; qui enim res prædictas, cum legitime debeat, restituere sciens prudens recusat, prout in propositis casibus debitor facit, is dolo agere videtur l. 36. de pecul: conf. l. II. C. depos. Sed dolo agentibus jura nostra subveniri plane nolunt. l. I. §. 2. l. 2. §. 3. ad SCtm. Vellej. add. l. I. §. 1. de dol. mal. l. 31. de Rec. qui arb: quin potius, paupertate illum publicè laborare volunt, qui id publicè commeritus fuerit. l. 31. depos. v. Rebuff. c. l. n. 37. & seq. Kinsch. c. 8. Freund. Concl. 43. & seqq: Mav. c. tr. c. 7. p 48.

§. 4. Nec absq; ratione videmur V. dubitare, an Major Pars creditorum noceat isti, qui jàm ante Inducias, litem in iudicio debitori moverit, aut vero jam antè, sententiam executionem ve contra eundem impetraverit. Planè, cum ipsa Majestas, in istiusmodi debitibus regulariter inducias concedere nequeat, v. late Freund. c. 11. concl. 27. Mav. c. 5. n. 197. quis id privatis licere temere asserat Reb. c. l. n. 19. Kinsch. c. 7. per tot: Peck. c. t. jur. Sist. c. 31. fin: Sane V in casu, ubi quis juramento sciens prudens, in specie huic quoque Induciarum renuntiavit beneficio, neq; Majorem credi-

creditorum partem cuiquam præjudicare, nec debitorem indi-
cias salvâ conscientiâ prætexere posse arbitramur v. l. 14. §. 10. ibi
Goth: de ædil: edict: & l. 7. C. d. Cond: insert: fin: l. 34. C. de Trans. c.
28. X. de Jurej: c. 2. de pact: X. in 6. Reb: c. l. n. 22. Kinsch: c. tr: c. 8.
n. 18. Col: proc: exec: p. l. c. 4. n. 16. Tuscb: L. M. concl: 383. n. 14. Manz.
c. l. n. 45. etiam si Majestas Juramentum relaxaverit Mæv: c. tr:
c. ult: per tot: imprimis n. 127. quod & verum arbitramur, si etiam
absque juramento, simpliciter, modo sciens, prudens & in specie
huic beneficio renunciatum esset per text. all. Reb: c. tr. n. 29. Kinsch.
l. c. n. 11. Mæv. all. l. quanquam huic beneficio renunciari posse
neget Butrig: sing. tr. de Renuntiat.

§. 5. Plura hic rectè possemus excipere Debita, im-
primis *recentia futura, dotalia, in mero debitoris facto consentia, pœ-
nalia* imprimis si suâ culpa debitor bonis lapsus, nec non ista fere
omnia, quæ in *Inducis publicis* regulariter excipi solent, de quibus
v. Rebuff. Kinsch. Fabr. Menoeb. Col. Freund. Manz. Carpz. Mæv. all.
l. Disput: Nob. Dn. Præf. all. Tb. 33. & seqq. Verum, cum ob infinitas
rerum humanarum, quas semper natura novas edere pro-
perat formas v. l. 2. §. 18. C. d. J. V. E. F. 2. t. 24. §. 2. v. prædictis mo-
dis Nov. 7. c. 2. pr. sigillatim ista ita accurate præscribi nequeant,
hæc talia judicis arbitrio, cum hoc monito subjicimus; cum
undiq; ita creditoribus prospiciendum, ne debitores graventur
v. c. 3. Nov. 4. fin. ita pro suâ prudentiâ omnia moderari ipsum
oportet, ut nec delicatus nimium debitor, nec morosus nimium
creditor audiatur. l. 25. de pign. aet. & proinde ne de hoc me-
dio, ceu vero justitiae tramite, devians cadat, semper timeat,
tremensque in omni negotio formidet c. 10. Dispt. 45. Hæc de cau-
sa *Materiali* sive *objecto* nostri Thematis.

§. 6. Causa vero *formalis* sive *essentialia* harum inducia-
rum *Requisita* præcipue hæc sunt l. est *consensus* creditorum sive
omnium, sive Majoris Partis v. §. 2. & 4. tit. 2. supr. ibi all. Dd. an
vero iste *consensus* in illo casu, ubi concorditer omnes credito-
res in *Indicias* consentiant, sive à singulis singulariter, sive ab
omnibus

omnibus conjunctim, impetretur, nobis nunc quidem perinde est v. Strach. p. 6. c. n. 9. & 19. Manz. c. tr. n. 39. Mæv. c. 3. n. 152. In illo verò casu, quem Nos suprà, secundum consequendarum Induciarum modum constituimus, & ubi secundum plurium sententiam, concedendæ induciae, necesse est ut omnes omnino credores unum in locum convenient, & communis consensu declarant, utrum inducias concedere velint, nec ne, l. 7. § 19. d. Pact: l. 10. eod: l. fin. C. qui bon. ced. Tusch: all. l. n. 14. Manz: n. 38. Mæv: 152. & seq: Etenim si omnes non convenerint, præsentes quidem & consenserentes obligantur, absentibus verò integra sui juris persecutio manet, nec his quicquam præjudicatur Mæv. all: ll. & Dd. quamquam de consuetudine quorundam locorum sufficiat, modò major creditorum pars convenerit, inque inducias consenserit v. Reb: all: l. n. 55. Fab: eod: l. t. 9. def. 21.

§. 7. Ad hoc verò, ut omnes convenire possint, requiritur III. ut omnes citentur per l. 39. de Adopt: l. 47. de re jud: l. 29. §. fin. d. min: Tusch: all: l. n. 14. Brunnum. ad l. cit: C. qui bon. ced. idque pro re natâ, sive citatione ordinaria personali, sive subsidiaria, edictali, ad hoc, ut in præfixo termino comparentes, jus suum dèducant, & vel agenda perficiant, vel quas se habere putant rationes, in contrarium tempestivè proferant, additâ comminatione præjudicii & præclusionis, erga non comparentes, aut negligentes, egregiè hoc Mæv: c. 3. c. tr. n. 118. idque talis citatio operatur, ut abentes postea non audiantur, sed non attentâ ferâ illorum contradictione, ratum maneat, quod gestum est. arg: l. 6. C. de remiss: pign: Mæv: c. tr. c. 3. n. 123. Manz: n. 41. c. tr. nisi quis justas absentia causas allegaverit, illasq; recte probaverit; tum enim sublati tali impedimento, huic quidem subvenitur, illatenus validâ manent, quæ talia futura fuissent, si mature contradictum fuisset. Mæv: l: c. An vero semel aut pluries, credores citandi, secundum mores cujusq; provinciæ variare putamus; Regulariter tamen, ad præclusionem juris, binam citationem jurisprudentiam requirere ex all: Dd: probat. Mæv. ibid. n. 125.

§. 8. Re-

§. 8. Requiritur IV. Debitor usque adeo bonis eversus omnibus, ut nisi Induciae ipsi concedantur, bonis cedere aut carcerem subire teneatur. *Tusib: c. l. n. 11. Brun: d. c. 158. Mæv: c. l. n. 158.* V. Necessaria est debitorum sive *aris alieni probatio*, arg: l. 2. de prob. l. 3. C. eod. l. 5. C. de pign: act: l. 2. C. d. Test: quæ sive exhibito bonorum omnium *arisq; alieni Inventario*, libro-*verationum* quantitatem & qualitatem singulorum debitorum, continentem, sive aliis etiam modis, aut moribus receptis, aut arbitrio judicis relictis, expediri potest, *Reb: d. l. n. 56. Fab: c. tr. cl. 21. n. 9. Manz: c. tr. Dec: 2. q. 4.* Et s. quanquam si tales bonorum nominumq; designationes juramento confirmari aut ad reprobationem admitti se peterent creditores omnino audierdos censeamus arg: l. 27. §. 3. d. pact: *Strach: c. tr. p. 6. n. 10. Fab. def. all: n. 13. Mæv: c. 5. n. 16. seq: c. 3. n. 16.* Id quod adeo veruni, ut induciis jam concessis, sive falsorum creditorum suppositione, sive aliis machinationibus dolosè debitorem egisse appareat, omnis retrò actus rescindatur, tum quoad hos, qui fraudibus inducti in inducias consenserunt, tum qui consentire recusarunt, *Reb: all: l. n. 58. latè Freund: c. tr. concl: 15. n. 67. Et seqq: Mæv: c. 3. c. tr: n. 165. Et 201. v. §. 4. supra Tit: 2.*

§. 9. Requiritur VI. *Decretum Judicis*, & licet hoc in pri-ori isto casu, quem *suprà all: §. 4. formavimus*, ita præcisè non requiratur v. *Mæv: c. l. n. 191. in posteriori tamen casu omnino exigitur arg: l. 7. §. 19. d. Pact: Tusib: l. D. concl: 108. pr: Strach: c. l. n. 9. Brun: c. tr: q. 22. n. 4. Manz: c. tr: 43. Mæv: c. l. n. 196. in cuius tamen in terpositione, ob fraudes, quæ ad expeditiorem induciarum impetrationem usurpari solent, non ita facilis, sed circumspctus admodum & cautus esse debet *Strach: l. c. n. 17. Seq: VII. quoque* necesse est, ne *immodicā dilatione* Major pars Minoris præjudicet, sed ut Induciarum spatium, à prudente Magistratus judicio, pro re & conditione, tam debitorum, quam creditorum, ad justum redigatur modum. *Mæv: c. 3. n. 197. Neuti-* quam tamen cum illis facere possumus, qui præcise intra quin-*

quennium, has inducias coarctant; quin potius istarum sive extensionem, sive arctationem, vel à voluntate creditorum, vel judicis moderamine dependere existimamus v. Kinsch: c. 17. c. tr: n. 3. Freund: Concl: 48. Umm: disp: 8. n. 26. May: n. 203. c. 3. Currere autem hoc induciarum tempus occipit, à die conventio- nis rite factæ, decretoque judicis interposito, Reb: c. 1 n. 48. Kinsch: c. 12. c. tr.

§. 10. Tandem & *Cautionem* alii a Debitore præstandam exigunt, in tantum, ut ne quidem *juratoriam* sufficere, sed omnino aut *Fidejussioniam* aut *pignoratitiam* locum habere contendant v. Brun: c. tr: q. 7. pr: Reb: all: l. n. 48. Kinsch: c. 3. n. 4. Peck: de jur: list: c. 31. Nos, cum *Mævio* inter *validitatem* & *securitatem* Induciарum distinguentes, cum in *Privatis Induciis* nullâ lege cau- tio præstari jubeatur, recte etiam absq; illâ, istas suscipere ex- istimamus: imprimis, sive illam expreſſe, sive tacitè creditores remittant, Gail: 2. obs. 46. Wurmb: l. 1. t. 25. obs. 9. Mæv: c. 6. n. 144. At, si pro majori securitate illam flagitant Creditores, omnino quidem præstanta cautio, sed non nisi talis, quæ ipsi possibilis, per Nov: 6. C. ult: fin: qualis ut plurimum est *juratoria*, adeoque cum fidejussionibus, aut pignoribus cavere, ejusmodi depaupe- ratis debtoribus haud liceat, vix aliam in *Praxi*, quam *juratori- am* se observasse, adserit *Rebuff*. c. 1. n. 52.

§. 11. Sed, quid si Major Pars Credit, illam remittere, velit debitori, an idem teneatur facere Pars Minor? Neutiquam. Quinimò, cui cautio negatur, hic non obstantibus Induciis actionem suam contra debitorem persequi potest v. Carpz. p. 2. Const. 22. Def. 29. fin. Mæv. c. 1. n. 200. modo ne iste talis sit, qui, cum alii creditores citationi parentes convenissent, & in indu- cias consenserint, contumaciter emansisset Kinsch: c. 1. c. 12. n. 15. Sed quid si jam ante inducias fidejussionem habeat Debitor? Si ipse se talem judicialiter profiteatur, ad ulteriorem cautio- nem Debitor haud tenetur, fruiturque hoc in casu, iisdem- cum Debitore Induciis, Fidejusor. Kinsch. c. tr. c. 10. per tot.

TITULUS

TITULUS IV. Adfinia & contraria tractans.

§. 1. Ne prolixam hic instituamus enumerationem illarum dilationum, quæ passim per omne jus diffusæ, non nisi *remotio*rem cum nostris induciis *proximitatem* habent, istas tantum hic proponemus, quæ *propiori ad finitatem* nostris *conunctæ* sunt Induciis. Inter has autem familiam ducunt *Inducia* vel à *Majestas* te mediante *Rescripto*, vel à *Magistratu inferiori*, eæq; sive ex *Legum prescripto*, sive *mero arbitrio* concessæ; quas *publicas* dicimus. §. 2. Tit. I. supra.

§. 2. Sed & aliud quoddam est genus Induciarum, quæ à *forma emanationis*, propriè *Litere Securitatis* dicuntur & à *Majestate* in trimestre, semestre, annale &c. tempus tantum *pro securitate corporis* debitori conceduntur, ne in carcerem ire cogatur: Currente vero tali dilatione, nihilominus creditoribus debitorem convenire, sententiamq; in ipsius bonis exequi permisum, & de his induciis vid. *Kinsch. sing. tract. de secur. corp. per tot.* His accedit & aliud genus Induciarum, quas propriè *literas Status & Justitii* appellant, quæ à *Majestate* istis conceduntur, qui *Reip. causa* absunt, ad hoc, ut ipsorum lites in eodem statu remaneant, quo tempore discessus fuerant, v. *Kinsch. c. tr. c. ult. Rebuff. c. tr. Gloß. 1. Aut. 1. n. 1. & Gloß. 2. cum seqq. ad fin. tract. Fab. Cod. l. 1. l. 10. def. 22. 23.*

§. 3. Jam quod *Contraria* attinet, cum pleraq; quæ his Induciis adversentur, in anterioribus relata, omnia quoq; illa, quæ à nobis dictis repugnant, pro *contrariis* habeamus, arg. pr. *Inst. de his qui sui vel al. Arist. 1. Top. 24. late* quoq; hæc pertractant, post alios, ex profess. *Freund. c. tr. concl. 67. & 68. Mav. c. ult. c. tr. per tis. ne actum agere, aut Iliada scribere*

*videamur, ista hæc consultò prætermittimus, si-
nentes in illius, quo cœpimus, nomine*

DEI INHUMANATI!

44

Ad præstantiss. ac politiss.
DN. RESPONDENTEM Commensalem,
svavissimum.

Dis sua jura placent. Quidni tibi jura placebunt,
CHRISTIANE-ACHATI, juris amator ovans!
JURA, quibus præscribens INDUPERATOR habenas
Certas, exemplò comprobat ipse suò.

Hinc quid decernam tibi? summos scilicet olim

Hos Juris titulos: **DOCTOR HONORIS** eris.

HERMANNUS Lembe / D.

Prof. & Fac. Jurid. Senior, nec
non Patriæ Syndicus.

Ad Doctiss.

DN. RESPONDENTEM

Ad metam fusis alii rapiantur habenis
Icariisque ausis seque rotasque ruant.
Sat bene festinat, metam maturus eandem
Qui bene contingat Tu, quod AMICE, facis.

PRÆSES.

Confuetudo quidem pro lege tenace putatur,
Si bona; sed pluris JURIS habetur APEX.
Hic, RANGERE, tibi sit cordi porrò, quod opto!
Tandem portabis nomina magna DICÆ.
His paucis politissimo Dn. Respondenti, suo ex aße amico, in iuri
scienciam profectius egregios docenti, adesse debuit gratul.

JACOBUS Pariss / Wism.

MIRANGERE tuis in præsens gratulor ausis,
Doctus quod scandas hanc Cathedram Roseam.
Porrò Sancta Trias, hæc talia ducat & ornet,
Quò possis Patriæ ritè placere tue.

Hec pauca in tesseram fraterne amicitie apponere volui debui

Petrus Weger. Reg. Bor.



TITULU. Adfinia & contra

§. 1. Ne prolixam hic institu-
rum dilationum, quæ passim per or-
motiorem cum nostris induciis proximis
hic proponemus, quæ propiori adfini-
Induciis. Inter has autem familiam
te mediante Rescripto, vel à Magistri
Legum prescripto, sive mero arbitrio c-
imus v. §. 2. Tit. I. supra.

§. 2. Sed & aliud quoddam
à forma emanationis, propriè Literæ
jestate in trimestre, semestre, annal
securitate corporis debitori concedun-
gatur: Currente vero tali dilatione
debitorem convenire, sententiamq
missum, & de his induciis vid. Kins-
tot. His accedit & aliud genus Induc-
Status & Justitiæ appellant, quæ à N
qui Reip. causa absunt, ad hoc, uti
remaneant, quo tempore discessus
Rebuff. c. tr. Gloß: 1. Aut. 1. n. 1. & Gloß
Cod. 1. 1. 1. 10. def. 22. 23.

§. 3. Jam quod Contraria a
Induciis adversentur, in anterioribus
quæ à nobis dictis repugnant, pro
Inst. de his qui sui vel al. Arist. 1. Top. 2
rint, post alios, ex profec. Freund. c.
ult. c. tr. per tis. ne actum agere
videamur, ista hinc consulto

nientes in illius, quo cœ

DEI INHUMA



ans.

operationem illa-
isæ, non nisi re-
ent, istas tantum
conunctæ sunt
cia vel à Majestas
i, exq; sive ex
as publicas dici-

duciarum, quæ
cuntur & à Ma-
us tantum pro
arcerem ire co-
us creditoribus
onis exequi per-
de secur. corp. per
s propriè literas
s conceduntur,
s in eodem statu
kins. c. tr. c. ult.
ad fin. tract. Fab-

pleraq; quæ his
inania quoq; illa,
eamus, arg. pr.
; hæc pertracta-
E 68. Mæv. c.
scribere
nus, fi-
line

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.

1